



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Dubium I. An, quæ, & quot sint relationes reales in Deo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)



## DV BIVM I.

*An, quæ, & quot sint Relationes reales in Deo.*

S. Thomas q. 1. p. 28. art. 1. &amp; 4.

2 **Q**uia sæpe inter explicationem diuinarum personarum ac processionum, relationum mentio facta est, ipsaq; persona diuina ut patet, relationum seu relatiuorum nomine appellantur, ut Patris, Filij, &c. ideo post personas, earumque processionem, de diuinis relationibus agendum; ut distinctè constet, quænam sit ratio eiusmodi relationum, & quænam ratione ad diuinas personas se habeant. Et quod ad præsens dubium attinet, sequentes assertiones statuimus.

3 **A**ssertio I. Non datur in Deo vlla relatio realis ad creaturas, nec prædicamentalis, nec transcendentalis. Hæc est expressa sententia Sancti Thomæ 2. cont. gent. capite decimo, & hic quæstione 28. artic. 1. ad 3. & quæst. 13. articulo septimo ubi ait: *Cum Deus sit extra totum ordinem creaturæ, & omnes creaturæ ordinentur ad ipsum & non e conuerso, manifestum est, quod creaturæ realiter referantur ad ipsum Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creaturas, sed secundum rationem tantum, in quantum creaturæ referuntur ad ipsum.* Idem docent Caietanus, & omnes Thomistæ, alijque Commentatores ibidem, item Scotus, alijque Scholastici plerique in 1. dist. 30. Ferrariensis libro secundo cont. gent. capite decimo. Henricus quodlib. 4. quæstione prima. idemque tuetur Albertinus quod 2. in prædicam. ad aliquid coroll. seu quæstione 1. & 2. tametsi idem Author tomo 1. princip. 1. coroll. 4. numero 11. cum alijs nonnullis recentioribus, relationes solum prædicamentales ad creaturas à Deo excludat, non autem transcendentales. Præter hunc vero Heruæus in prim. dist. 30. quæst. vn. Soccinnas 5. Metaph. quæst. 25. atque etiam saltem quoad modum loquendi Nominales, Ockam in 1. dist. 30. quæst. 1. & d. 31. quæst. 1. & Ariminensis d. 28. quæst. 2. art. 2. relationes reales, etiam prædicamentales, in Deo constituunt.

4 **Q**uæ sententia contra communem Theologorum non est admittenda; tametsi authores eiusdem eam ita explicant, ut re ipsa perfectioni diuinæ naturæ non multum præiudicet; siquidem non ita in Deo ponit relationem prædicamentalem realè quasi realis quædam habitudo (V. G. Creatoris vel Domini) de nouo ac in tempore primum intrinsecè adueniat Deo; sed solum, quia vel sit realis quædam habitudo in Deo ad creaturas ab æterno, quæ tamen Deum creatorem aut Dominum non denominet, nisi posita creatura tanquam termino: vel quod relatio Creatoris nulla omnino sit habitudo realis ad creaturam, distincta à fundamento, seu perfectione absoluta & potentia creandi; sed sit ipsa potentia creandi, quæ supposito termino extrinsecè connotato, scilicet creatura, faciat Deum formaliter relatum ad creatu-

ras, absque vlla alia realitate, siue habitudine reali distincta; prout vniuersim ipsi de relationibus etiam prædicamentalis sentire solent.

5 **Q**uo sensu etiam difficilè est, solida & adæquata ratione eorum sententiam refellere. Sed probatur tamen prima pars assertionis, supposita communi Philosophia. Quia relationes reales prædicamentales formaliter non sunt, nisi existente vtròque termino; ac proinde adueniunt, primum posita vtriusque termini existentia; atqui impossibile est, ut primum per existentiam creature Deo noua relatio realis adueniat: sic enim Deus mutaretur. Ergo, &c.

6 **S**ecundo pars ab Albertino loco citato probatur. Si aliqua in D E O esset relatio realis transcendentalis ad creaturas, nimirum, possibiles, tunc D E V S, etiam abstrahendo ab actionibus eius liberis, quæ ut sic ad eius perfectionem non pertinent, adeoque ipse secundum suum esse quoddam naturale, non esset. Ens magis necessarium, quam Entia possibilis, creata; à quibus velut terminis relatio illa realis in Deo dependeret, id autem est absurdum: quia Deus, ut ens ratione prius, ita magis necessarium est, magisque independens, quam creaturæ possibiles; si enim hæc possibiles non essent, adhuc Deus esset; non contra: cum possibiles sint per respectum ad Deum velut exemplar & ideam, ut docet Albertinus loco citato. Sed hanc argumentationem non esse firmam, parebit ex quæstione quarta, dubio tertio. Ratio ergo potissima esse videtur; quia absurdum est, Deum intrinsecè secundum aliquid sui dependere quodammodo à creatura, saltem velut termino: quo modo omnis relatio realis dependet à suo termino.

7 **A**ssertio II. Dantur in Deo relationes reales mutæ inter ipsas personas diuinas. Ita S. Thomas hic quæstione vigesima octaua, articulo primo, & quæstione octaua de potent. a. 1. ubi ipsemet notat, hoc esse de fide certum; quod tradunt etiam omnes Scholastici hic, & cum Magistro in 1. dist. 26. Probatur primo ex Scripturis, in quibus non solum diuina persone nominibus relatiuis exprimentur; *Patris* nimirum, & *Filij*; sed simul etiam constat, rem per ea nomina significatam, verè ac realiter personis diuinis conuenire, ut quæstione prima & secunda dictum. Secundo idem constat ex Sanctis Patribus; qui passim asserunt, personas diuinas distingui relationibus, utique à parte rei in D E O existentibus, speciatim Dionysius capite secundo, de diuinom. Athanasius oratione secunda & quarta contra Arianos, & dialog. de Trinitate contra Anomæos, Basiliius sermone de fide & libro primo & secundo contra Eunomium, Gregorius Nazianzenus oratione prima & quarta de Theologia. Cyrillus libro septimo thesauri, capite primo. Augustinus libro quinto de Trinitate capite tertio & quinto.

8 **I**dem constat ex Concilijs; ex quibus præcipuè ad institutum facit Concilium Toletanum XI. ubi dicitur: *Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque refertur: quæ cum relatiuè tres*

persona



personæ dicantur, una tamen natura, vel substantia creditur. Et infra: In relatione personarum cernitur numerus. Idem habetur in Synodo VI. epist. Sophronij: & in Concilio Florentino sess. 18. & 19. ubi personæ diuinæ dicuntur esse ad aliquid: quod etiam habetur in literis seu decreto vniuersalis sess. 25.

9 Consentit etiam Boëtius lib. 1. de Trinit. cap. 12. cum ait: Substantia præbet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem. Qui proinde ubi capit. 6. negare videtur, in DEO esse proprie relationem, locutus est de DEO vt vno, adeoque de relatione ad creaturas, vt seipsum mox explicat cap. 7. & rectè notauit Suarez lib. 5. capite 1. num. 4. licet S. Thomas hic q. 28. a. 1. & quidam alij aliter respondeant.

10 Ratio assertionis est; tum quia alias non possent inter se distingui ac multiplicari personæ; cum absoluta omnia communia & eadem sint in omnibus, vt magis patebit dub. sext. Tum quia omnia hic ad relationem realem requisita adsunt. Est enim realis distinctio terminorum seu personarum ex dictis quæstion. prima, dub. primo; ubi tamen hoc singulare est, quod relationes istæ, quia substantiales sunt, non accidentales, vt dicemus, eam distinctionem non supponunt, sed faciunt, vt dicitur dub. sext. Est etiam sufficiens & realis ratio fundandi; quia est realis processio inter personas, ex quæstion. præced. Quod si necessarium est etiam fundamentum distinctum à ratione fundandi, eius officium præstabit ipsa natura diuina, vel secundum se, vel vt est principium Quo productionis; cum etiam in relationibus creatis ratio fundandi sæpe reipsa non differat à fundamento; vt in similitudine duarum albedinum patet. An vero, & quomodo necessarium sit eiusmodi fundamentum, & ratio fundandi in his relationibus, infra dicitur dub. 5. & 6.

11 Assertio III. Relationes hæ in diuinis etiam sunt reales, secundum esse. Ad. Ita Molina quæstion. 28. articulo primo, Gregorius de Valentia quæstion. secunda. pun. 1. Suarez lib. 5. capit. 1. numero 6. Vasquez d. 114. Albertinus tom. 2. prædicam. Ad aliquid, coroll. 5. & quoad diuinæ relationes consentit Torres q. 28. art. 2. contra Capreolum in 1. d. 22. quæst. 1. articulo 3. Caietanum hic cit. art. 2. & 3. quæst. 3. artic. 1. Ratio est. Tum quia vniuersim esse Ad, in relatione reali (esto secundum totam analogiam abstrahat ab esse reali) est differentia quasi contrahens rationem Entis, & accidentis realis ad certum genus, puta relationis, iuxta S. Thomam quæstion. 28. articulo 2. Ergo est in eodem quasi genere Entis. Tum quia esse Ad completè acceptum, cum sit alicuius, & in aliquo, includit velut rationem quandam superiorem ipsum esse in, quæ iuxta omnes realis est. Denique peculiaris ratio est in diuinis; quia personæ realiter distinguuntur per relationes quales sunt; sicut & Pater formaliter est Pater per relationem qua talis est, ex cap. Firmiter, de summa Trinit. Ergo relatio Paternitatis, qua talis for-

maliter est, & non solum quatenus identificatur cum essentia est realis: quod propterea etiam de fide certum existimant Molina & Albertinus locis citatis.

12 Assertio IV. Quatuor tantum sunt in DEO relationes reales; nimirum Paternitas, Filiatio, Spiratio (actiua) & processio, seu spiratio passiua. Ita Sanctus Thomas quæstion. 28. artic. 4. & loquendo de relationibus in personarum productione fundatis, certa ac communis est omnium Doctorum, quicquid Scotus de alijs quibusdam relationibus quæstion. prima. dubio 8. relatus & refutatus dixerit. Probatur. Quia relationes reales in Deo esse non possunt, nisi ratione processionum ad intra; secundum esse enim absolutum, & per respectum ad illud, vt nulla est distinctio, ita nulla esse potest oppositio relatiua. Et vero necesse est, vt cuiuslibet processionis duæ respondeant relationes oppositæ; quarum vna sit procedentis à principio, altera sit ipsius principij. Cum ergo duæ sint processionem, videlicet generatio, & spiratio, necessario quatuor sunt relationes reales; quæ ita se habent, vt illa quidem ex parte principij generantis dicatur paternitas; quo nimirum nomine etiam in humanis affici solet; ex parte vero termini geniti, filiatio; illa vero quæ est ex parte principij spirantis, aliud nomen non habet, quam spirationis; ex parte vero termini spirati, dicitur processio, seu spiratio passiua. Quamuis alias hæc nomina ex prima impositione, potius ad ipsas processionem seu origines pertineant, non ad relationes. Plura quæstion. prima. dubio. 8. ubi docuimus, nec relationes æqualitatis seu identitatis; nec diuersitatis, inter diuinæ personas esse posse reales; illud quidem, quia non habent fundamentum distinctum; hoc vero, quia pro fundamento habent relationes, quæ non possunt esse fundamentum nouæ relationis realis, nec detur processus in infinitum, vt ex communi Philosophia suppono; quandoquidem si eiusmodi relationes essent reales in Deo, essent in eo non minus per quandam resultantiam, quam in creaturis.

13 Assertio V. Relationes personarum in Deo, non sunt accidentales, nec accidentia; sed substantiales. Ita Theologi omnes cum Magistro cit. dist. 26. & cum S. Thoma hic quæst. 28. a. 2. & est extra controuersiam apud Orthodoxos: Tum quia in Deo nullum est accidens. Tum quia hæc relationes sunt propria & formalia distinctiua & constitutiua diuinarum personarum, vt patebit dub. 6.

14 Dubitatio quædam est inter Doctores, an spiratio actiua & Paternitas (eadem est ratio Filiationis cum eadem spiratione comparata) dicendæ sint duæ relationes à parte rei. Negat Gregorius de Valentia quæstion. 6. pun. 2. & pro se citat Caietanum hic quæstion. 32. art. 2. Affirmant apud eundem Egidius in prim. dist. 27. articulo primo. quæstion. 1. & Capreolus in 1. d. 13. quæst. 1. articulo secundo & alij recentiores. Sed his facile componitur, si absit æquiocatio. Aut enim terminus à parte rei,



appellat voculam *duas*; & sic cum non sint à parte rei distinctæ, vt patebit dubio seq. non sunt etiam à parte rei plures, adeoque nec à parte rei *duæ*. Aut appellat ipsas solum relationes; & illas nemo vtique negauerit esse à parte rei; sicut nemo negat, esse à parte rei in Deo hæc duo attributa sapientiam & misericordiam; licet à parte rei non sint distincta: id quod Sanctus Thomas cit. quæstione 32. articulo 2. & supra quæstione 28. articulo 4. expressè docet; & cum eo alij communiter omnes. Neque plus dicit Caietanus loco citato, quam non esse duas realiter siue secundum rem, ita scilicet vt à parte rei sint distinctæ, de quo dubio sequenti.

## DV BIVM II.

*An, & qua ratione relationes diuina ab essentia, & inter se, atq; à personis distinguantur.*

S. Thom. 1. p. q. 28. a. 3. & 4. & q. 40. a. 1.

Suppositis ijs, quæ de attributorum distinctione generatim docuimus disput. 2. quæst. 2. res breuiter absolui potest.

1. Assertio I. Relationes diuina nullo modo à parte rei, seu ante operationem intellectus, distinguuntur ab essentia diuina. Hæc assertio est contra duas falsas sententias. Prima est Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis, qui vt cum Sancto Thoma hic quæstio. 28. artic. 2. & communi Doctorum rectè notauit Suarez libro quarto, capite secundo, plane aliquando docuerat, relationes distingui ab essentia non solum formaliter vel modaliter, siue ex natura rei, vt putauit Vasquez disput. 120. capite 1. sed realiter, vt res à re; ne videlicet simul eadem res diceretur & generans, & genita; eademque seipsam genuisse. Quocirca etiam negabat has propositiones, Deus est essentia diuina, Deus est sua sapientia; accipiendo nimirum vocabulum Deus pro persona, vt videre est ex ijs, quæ verbatim refert ipsemet Vasquez loco citato. Quo sensu etiam non malè, nec falsò Alensis 1. p. quæst. 68. memb. 5. articulo 6. Bonauentura in 1. d. 33. quæst. 1. alijque Scholastici, atque ipsemet Sanctus Thomas hic quæst. 28. artic. 2. ita referunt Gilberti sententiam, vt dixerit, relationes in diuinis esse velut extrinsecus affixas, non inherentes diuinæ essentiæ; vt cunque Vasquez loc. cit. existimet sententiam Gilberti non rectè ab eis intellectam.

2. Secunda sententia est, relationes, adeoque proprietates personales (quas relationes etiam esse patebit dubio 5.) distingui ab essentia diuina, ante omnem intellectus operationem, non quidem tanta distinctione, quanta solet esse inter res duas omnino condistinctas; sed qualis esse solet inter rem & modum eius; quæ distinctio dici solet modalis, siue latius ex natura rei. Ita Durandus in 1. dist. 33. quæstione 1. & d. 24. quæstione secunda, & in 3. d. 1. quæstione 2. qui etiam eam distinctionem vocat *realem* latè, scilicet vt condistinguitur adæ-

quatè contra distinctionem rationis. Idem vniuersim de attributis diuinis sensisse communiter existimatur Scotus in 1. d. 2. quæstione quarta & 7. & d. 4. quæstione octaua, prout eum etiam intellexerunt Gregorius de Valentia quæst. 13. p. 1. & Vasquez disputatione 120. capite 2. tamen si Scotus nunquam eam distinctionem vocauit *realem*; sed *formalem*, vel ex natura rei. Imo quæst. 7. vocat *virtualem*, & negat esse *realem actualem*, & tandem docet, posse vocari rationis. Eodem ferè modo de relationibus comparatis ad essentiam loquitur Ockam in 1. q. 1. Marfilus q. 6. Gabriel in 1. d. 2. art. 1. & art. 3. dub. 3. alijque Nominales apud Suarez libro 4. cap. quarto, num. 2. qui proinde existimat, Scotum, & istos fortè à communi re ipsa non dissentire.

Sed quicquid sit de hoc, contra vtramque sententiam, pro certo habendum est, quod in assertionem dictam, vt cum Sancto Thoma hic quæstione vigesima octaua, articulo secundo, & quæst. 39. articulo primo, & quæstione octaua, de potentia habet communis ac certa omnium, tam veterum aliorum, quam recentiorum sententia apud citatos; adeo vt etiam prior illa sententia Gilberti in fide erronea, & re ipsa hæretica censetur; etsi Gilbertus, quod pertinacia abfuerit, nunquam ideo fuerit hæreticus existimatus, vt videre est apud citatos.

Alteram vero sententiam Durandi Vasquez loco citato, quia putat à Gilberti sententia non differre, consequenter existimat non minus quam Gilberti errorem, fuisse damnatam; Gregorius autem de Valentia quæstione decima tertia p. 1. & alij communiter iudicant, parum esse fidei consentaneam.

4. Probatur assertio primum ex Scripturis iam etiam superius relatis quæstione 1. dubio octauo. Ioann. 10. versu 30. *Ego & Pater vnum sumus*; Et 1. Ioann. 5. versu 7. *Hi tres vnum sunt*; nimirum in essentia. Secundo probatur autoritate Ecclesiæ: Nam in Concilio Remensi sub Eugenio III. ex instituto damnata fuit opinio Gilberti: qui eam quoque ibidem, citra pertinaciam, retractauit, presente Sancto Bernardo, qui multa etiam contra eundem scripsit sermone 80. in Cant. & libro 5. de considerat. In eodem Concilio definitum fuit, personam esse diuinam substantiam, & Deum, & Deitatem; & relationem etiam esse Deum; item tres personas esse vnã diuinitatem, & vnãquamque proprietatem esse Deum, vt videre est in actis eius Concilij, & fusè prosequuntur Baronius tomo duodecimo, & Vasquez cit. disp. 120.

5. Præterea in Concilio Lateranensi cap. *Damnatum*, de summ. Trinit. & Fid. Catholic. definitur, non esse in Deo quaternitatem, seu quaternarium numerum rerum; ibidemque asseritur, tres personas esse vnã rem, esse vnã essentiam & substantiam. Et in fine dicitur; *Id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idem omnino*. In Concilio quoque Florentino sessione 25. in declaratione fidei à Græcis etiam approbata, hæc verba leguntur: *Ne ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasis & personis*

differre